PETRI FRANCII
ORATIO
IN FUNERE
Auguſtiſſimae ac Potentiſſimae

Magnae Britanniae, Franciae, & Hiberniae

REGINAE, MARIAE,
&c. &c. &c.

Habita Amſtelaedami

In Templo Belgico Veteri,

XV. Martii,

Ipſo Exequiarum Die.



AMSTELAEDAMI,

Apud JOANNEM RIEUWERTSZ. Civitatis & Illuſtris Athenaei Typographum.

cIↄ Iↄ cxcv.

Auguſtiſſimo & invictiſſimo

PRINCIPI,

WILHELMO,

Magnae Britanniae, Franciae,
& Hiberniae

REGI,

Foederati Belgii

Terra ac Mari

IMPERATORI,

&c. &c. &c.

Hanc ſuam Orationem,

Non ſine ſummo ſenſu doloris,

Eaque qua convenit

Pietate ac reverentia,

D. D. D.

Sacratiſſimae Ejus Majeſtati

Devotiſſimus

PETRUS FRANCIUS.

PRECATIUNCULA.

Quandoquidem non ſponte, nec temere, ſed ampliſſimorum Conſulum juſſu, & quadam inſuper neceſſitate, hunc, rebus divinis & ſacris orationibus deſtinatum, conſcendi locum; quid juſtum magis & aequum, quid magis etiam neceſſarium, quam ut, inflexa paullulum oratione, & ab hominibus ad Deum immortalem converſa, ab eo dicendi initium faciam, à quo ipſi Gentiles, & à veri Dei ſacris alieni, ſumendum eſſe principium ſtatuerunt? Te itaque, omnipotens ac ſempiterne Deus, ſine quo nihil auſpicato aggredi poſſumus, prono ac ſubmiſſo animo non minus, quam corpore, oro ac ſupplico; ut meam hanc orationem, non ſacram quidem, ſed nec impiam tamen aut profanam, nec ab hujus ſanctimonia loci magnopere recedentem, bono ac benigno vultu reſpicere ne dedigneris: &, dum ſanctiſſimae ac religioſiſſimae Principis, non tam laudes, quam

virtutes, non tam Ejus merita, quam Tua beneficia, narro atque commemoro; eam Tu mihi conſtantiam, eam modeſtiam largiaris, quam & loci hujus reverentia poſtulat, & materiae à me dignitas flagitat. Perfunde me Spiritu Tuo, & coeleſtis illius ignis ſcintilla, quo Tuos olim Apoſtolos, divinos illos Tuae voluntatis interpretes, animaſti, linguam meam continge, pectus meum accende, atque ita mentem illuſtra, dictionem tempera, ut nihil, niſi grave, ac ſerium, & huic loco conveniens, ore meo proferatur; ut eo quo par eſt ardore, hujus exequias Principis celebrare, hujus virtutes exponere, & ad propoſitum finem, ſi non cum laude & gloria, ſine dedecore certe & ignominia, opus inchoatum perducere, & injuncto mihi labore defungi poſſim.

PETRI FRANCII
ORATIO FUNEBRIS
&c. &c. &c.

HOc ergo, hoc unum reſtabat calamitatibus noſtris, & per tot annos continuis Reipublicae hujus aerumnis, ut in hoc rerum ſtatu, fervente etiamnum ac flagrante bello, hujus belli praeſidium, hujus mali ſolatium, optima non minus, quam maxima, Reginarum, MARIA, rebus humanis eximeretur! Jacet, jacet exanimis prudentiſſima illa ac ſapientiſſima Regni Britannici, hujuſque Reipubl. Gubernatrix, & in medio vitae curſu, in altiſſimo honoris faſtigio, in ſummo fortunae ſplendore, clariſſimum ſidus illud extinctum eſt. Credite, Auditores, ſi non famae, quae raro in malis nos fallit; ſi non auribus, quae triſtes illos, ac veraces nimium nuntios, toties per-

ceperunt; oculis certe veſtris, ante oculos luctum habetis. Jam parantur exequiae: jam effertur Regina; & quicquid in ea corporeum fuit, caducum, mortale, terrenum, terrae ac ſepulturae mandatur; & triſte quoddam iſtius ſimulacrum doloris hoc ipſo vobis die repraeſentamus. Advenit enim, advenit, & illuxit terrarum orbi, funeſtus ille ac feralis, & bonis omnibus luctuoſus dies, quo nobile illud domicilium animae, virtutum omnium habitaculum, quo ſuavis illa, amabiliſque Regina, amor gentis Britannicae, amor noſtrae, oculis noſtris in aeternum ſubducitur, & in Majorum ſuorum tumulo collocatur. Condit Regales exuvias, & pompam ſubſequitur funebrem, univerſum cum Rege Londinum. Quin omnes Britanniae urbes perrumpit, nec intra unius Regni limites conſiſtit, dolor. Quin ipſum tranſcendit mare, & conjunctae foedere Belgicae oppida pervagatur. Ferali campanae ſono, fletu, gemitu, planctu, omnia perſtrepunt, & ſui quiſque moeroris exhibet argumenta. Quae non carmina conſcribuntur? Quot conciones in templis, quot orationes in Academiis, quam diverſis ubique ſermonibus, audiuntur? Communis omnium luctûs, & publici paſſim doloris, Franequera,

Tra-

Trajectum, Lugdunum, haec inquam ampliſſima civitas, hic ipſe teſtis eſt locus. Prudenter equidem ac ſapienter, ut Academiarum iſtarum, ita & hujus Illuſtris Gymnaſii illuſtriſſimi Curatores, hujus urbis ampliſſimi Conſules, in ſua itidem urbe, nobiliſſimo terrae orbis emporio, nobiliſſimae ac potentiſſimae Britanniarum Reginae orationem habendam funebrem cenſuerunt; & ad actum iſtum ſolennem tanto majore frequentia hominum, eoque quo par eſt honore, condecorandum, hunc ipſum & diem elegerunt & locum. Et ſane quis dies illuſtrior, quis magis appoſitus & accommodatus, quam hic ipſe, luctui publico, & juſtis Reginae funebribus, ab ipſo Concilio Regio electus ac conſtitutus? Quis locus magis idoneus, quam hoc ſanctiſſimum & religioſiſſimum, quam hoc capaciſſimum civitatis delubrum? Ubi laudari dignius potuit tam ſancta, tam religioſa, Deoque per omnem vitam devota Princeps, quam in hoc ipſo, Deo ac divino cultui conſecrato, loco? Ubi convenientius meruit praedicari, quam in templo, quae in ſanctiſſimo pectore, & caſtiſſimis animi penetralibus, gratiſſimam Deo aedem, & pulcherrimum ipſa templum erexit? Quid congruens

denique magis, & rationi conſentiens, quam ex hoc ipſo ſuggeſtu, unde ſacrae ad populum conciones haberi, unde oracula Dei & placita promulgari ſolent, ejus Principis laudes audiri, quae concionibus ſacris tam libenter, tam frequenter interfuit, quae ad divina illa mandata ac monita, ad ſacram iſtam normam & formulam, vitam ſuam omnem compoſuit? Atque utinam, ut tempus & locum, non minus item idoneam ad dicendum perſonam circumſpicere potuiſſent ampliſſimi Patres; qui cum iſtam mihi demandarunt provinciam, vereor ne nimium mihi impoſuerint oneris, & graviorem humeris meis molem jubear ſuſtinere. Etenim grave atque arduum, & humanis paene viribus majus, tam eximiam atque praeſtantem, tam omnibus numeris abſolutam, tot ornatam virtutibus Principem, hoc eſt, ipſam laudare virtutem. Sed obtemperandum & annitendum; neque enim hoc debitum Rectoribus noſtris obſequium, Reginae officium, denegandum. Quod ſi Perſonis illuſtribus, ac bene meritis de Republica civibus, ſi ſuis olim parentibus, & aliquo ſanguinis vinculo ac neceſſitate conjunctis, honorem hunc ultimum praeſtitit, eorumque virtutes ac dotes in exemplum ſibi propoſuit, victor

ille gentium populus; quem iſto honore macta-bimus, quem jure potiore laudabimus, quam optimam, nec uno nobis nomine commenda-bilem, Principem? quae enim perſona illu-ſtrior, Regia? quis melius de nobis promeruit, quam haec ipſa? quis majore nos unquam a-more fovit atque dilexit, quam communis illa omnium mater, & publica quaedam parens? quis plures in exemplum virtutes ſuppeditavit, quam ea ipſa, quae vivum quoddam virtutum omnium exemplar fuit? Quamobrem, cum nec benigniorem illa quiſquam laudis materiam, nec juſtiorem lugendi cauſſam reliquerit, adeſte quaeſo, Auditores, & tam bene ſemper ac praeclare meritae de nobis Reginae ultimum il-lud & unicum, quod poſcit à nobis, officium exhibete. Video veſtra omnium ora, video vul-tus & oculos, & depictum in iis dolorem, vi-deo pullatas ac lugubres veſtes, video atratum ſuggeſtum, & illius imaginem temporis videor intueri, quo clariſſimum ac fortiſſimum virum, Michaelem Adrianum Ruterum, fulmen belli, terrorem oceani, oratione vobis ſimili commen-davi, & magni Herois exequias verbis meis funebribus ſum proſecutus. Et ſi juſtus iſte tum fuit ac legitimus dolor, ſi funeſtus Reipu-

 blicae

blicae caſus; quanto hic juſtior dolor, quanto majus hoc ipſum, quod hujus funere Principis Reipublicae vulnus inflictum eſt? Penitius multo & altius deſcendit hoc illo telum, tantoque luctus hic gravior, quanto perſona, quam lugemus, illuſtrior. Maximum ſane, nec ullis victoriis expiandum, accepimus detrimentum tam illuſtris morte Reginae, neque plus ipſa Britannia, quam hae noſtrae amiſere Provinciae. Utraque gens juſta jam facit, & ſupremum illi honorem perſolvit. Comitemur Regium funus, & eo pede quo poſſumus ad ipſum uſque tumulum ſubſequamur. Et quoniam oculis corporis iſtam uſurpare pompam non licet, virtutes ejus ac dotes, quas illa plurimas habuit, animo ſubjiciamus, & ab ipſo vitae initio ad ejuſdem exitum vitae, quicquid in Ea praeclarum fuit ac memorabile, quicquid pulchrum, venuſtum, eximium, planeque Regium, mentis oculis contemplemur. Quod dum facio, Auditores, nolite exiſtimare me veſtram imploraturum benevolentiam. Promittit eam mihi frequens iſte concurſus: promittit, ſubjecta materia. Quis enim non amet tam amabilem Principem, & ſuo viciſſim amore non proſequatur, quae ſuo nos omnes amore eſt proſecuta?

noli-

nolite item putare, me falſas Ei laudes aſſignaturum, aut fucum ullum ac lenocinium in ea extollenda adhibiturum, quae omnem falſum ornatum reſpuit atque contempſit. Suas illi tribuam laudes, veras, proprias, debitas; & de virtutibus Ejus plurimis maximis, cum omnia nequeam, ſumma tantummodo capita delibabo. Agite itaque agite, cives ac populares; agite, ſi qui adeſtis, hoſpites ac peregrini; ite magnas exequias, nunquam majores iviſtis, nunquam majores ibitis; & clariſſimae terrae orbis Reginae Natales, vitam, mortem, una mecum evolvite.

Et ut à primis Ejus incunabulis ordiar, primam vitae lucem adſpicere coepit Auguſtiſſima noſtra Regina anno ſaeculi hujus ſecundo & ſexageſimo, Maji decimo, Jacobo Duce tum Eboracenſi, & magni Cancellarii filia, parentibus edita. Si natalium ſplendor, ſi locus, commendationis adferre aliquid poſſunt, quis locus Londino clarior, celebri illo totius Britanniae, totius Europae, emporio? quae domus illâ Stuartorum illuſtrior, quae utrumque Jacobum & Carolum, ut & hanc clariſſimam Neptem, in Auguſtiſſimo Magnae Britanniae ſolio continuos collocavit, & ſtem-

matis ſui fulgorem in omnes terrarum oras diſſeminavit. Sed ut illuſtri patria ac familia ortum eſſe, pulchrum ſane atque plaeclarum, ita pulchrius multo atque praeclarius, eaſdem illas ſuis ornaſſe virtutibus, novumque iis ſplendorem accommodaſſe. Nec vero praeſtantiorum aut domus Stuartia foeminam, aut regnum unquam Britannicum excellentiorem illa Principem habuit, quae Regiae dignitati plus honoris & gloriae tribuit, quam ab ea accepit; tantumque Reginis praeſtitit caeteris omnibus, quantum ipſae privatis Reginae.

Eminebant jamdudum in ipſa, & à prima ſtatim infantia eluceſcebant multa ac luculenta verae virtutis & non fucatae pietatis inſignia. Nam cum tenella etiamnum aetate amiſiſſet optimam matrem, & ſub auſpiciis alienis in Aula, hoc eſt in omnis generis deliciarum plena ac referta domo, ſatis molliter, ut fieri ſolet, educaretur, tanta tamen ſemper conſtantia, tanta temperantia ac modeſtia fuit, ut nullo aliorum exemplo, nullo vitiorum aeſtu, ullove mali confinio, de recta ſeſe via pateretur abduci. Alebat hos virtutis igniculos, & iſta pietatis ſemina Carolus fovebat Secundus, qui, ut à ſacris eam Romanis abſtraheret, verae & ab omni ſuper-

ſti-

ſtitione alienae fundamenta religionis per Londinenſem illam Epiſcopum edoceri juſſit: quae iſte tam feliciter jecit, ipſa vero tam fideliter inbibit, ut nullis unquam inſidiis, nullis promiſſis aut minis, nullis poenis aut praemiis, quiverit labefactari; & vel morte vitam permutare maluerit, quam tantillum à percepta ſemel veritate recedere.

Poſtquam ſuae reliquum juventutis iis artibus tranſegiſſet, quibus generoſae & illuſtres animae ad magnae fortune ſpem excitantur, & Chriſtianis ſimul ac Regiis abunde ſeſe virtutibus inſtruxiſſet; vix pubertatem egreſſa, anno aetatis quinto & decimo, felicibus nupſit auſpiciis Gulielmo ejus nominis Tertio, Principi Arauſionenſi, foederatae hujus Belgicae noſtrae Gubernatori, Imperatori, ſuis multo virtutibus ac rebus praeclare geſtis, quam Majorum ſuorum inſignibus, & longa ſtemmatum ſerie, illuſtriori. Ducit Gulielmus Mariam, cognatus cognatam, & duplici inter ſe vinculo, ac firmiore quam hactenus nodo nobiliſſimae totius Europae familiae copulantur. Illa gentem Stuartiam; Ille gentem Naſſaviam: Illa Reges Britanniae; Ille Rectores Germaniae, & ipſos etiam Caeſares, in Majoribus ſuis oſtentat.

Ri-

Ritu nuptiali peracto, & ſolennibus matrimonii celebratis, ex Britannia in has regiones cum Conjuge ſuo trajecit Regia Nupta, & Hagae Comitatenſi, loco non Hollandiae ſolum, ſed totius prope Europae, amaeniſſimo, delicatiſſimo, & Comitum primo Hollandiae, Arauſionenſium deinde Principum ſede, & hujus ipſius Principis patria, ſedem ſibi domiciliumque delegit: ubi in amore omnium, & propenſiſſima univerſi erga ipſam populi voluntate, per aliquot annorum decurſum, cum optimo & amantiſſimo non minus ſui Viro, ita ſuaviter atque concorditer, ita non ſine rixa modo & jurgio, ſed & vel leviſſima frigoris ſuſpicione, vitam ſuam tranſegit, ut omnibus, non dico Regibus ac Principibus, & in honore ac dignitate poſitis viris, ſed & privatis hominibus, luculentum eſſe poſſit exemplum amoris mutui conjugalis. Quo matrimonio non illae ſolum, quae id contraxere, perſonae, ſed & utraeque gentes ac nationes, & ipſae quodammodo terrae, medio alias ponto, & Oceani fluctibus interruptae, amicitiae ac ſocietatis fortiore quam prius foedere, & arctiore exinde vinculo fuere conjunctae.

Poſt aliquod deinde temporis intervallum

cum

cum novas in Anglia turbas excitarent, qui & Principibus noſtris, & nobis, qui libertati & religioni, & huic imprimis Reipublicae male vellent; & in ſuum ſibi auxilium, qui malo iſti publico mederi poterat ſolus, Principem noſtrum Britannici Regni Proceres advocaſſent; jamque fortiſſimus Heros, rem auſus ingentem, ac plane Herculeam, & apud ſeros vix fidem poſteros inventuram, non ſine divino prorſus & evidenti miraculo, cum aliò ille trajiceret, aliò venti appellerent, felicibus tandem & ventis & votis in *Britanniam* transfretaſſet; ac nemine reſiſtente, univerſo vero populo applaudente, non tam ſuis pedibus, quam civium humeris, in urbem Regiam perveniſſet; cariſſimamque paullo poſt Conjugem, dudum tori, nunc & regni participem, ad delatum jam ſibi honorem, & conferendam mox dignitatem, idemque fortunae conſortium, invitaſſet; anno hujus ſaeculi nono & octogeſimo, ſub ipſius anni exordium, felici quodam augurio, & auſpicatiſſimo omine, ambo Rex & Regina, eodem jure ac poteſtate, communi omnium voto, & utriuſque domus ſuffragio, declarantur. Quis fuerit harum gentium dolor, cum non ſine lacrymis atque ſuſpiriis, & inter-

 ruptis

ruptis dolore ſingultibus, hoc ipſo è litore ſolveret, & amatas tantopere terras, nunquam reditura, relinqueret amata tantopere Princeps: quod iſtarum Gentium gaudium, cum ad Britannicum litus appelleret, cum Reginam ſuam adſpiceret populus Londinenſis, qui concurſus, qui plauſus, cogitatione quivis facilius, quam ulla quiſquam oratione, complecti poſſit.

Quum autem aut ſubjuganda Regi Hibernia, aut, ad communem Europae debellandum hoſtem; mare crebro trajiciendum, & ad Belgas redeundum eſſet noſtro Imperatori; qua Illa tum Regnum prudentia adminiſtrarit, quo conſilio rexerit, qua animi magnitudine confirmarit; teſtis eſt calamitoſus ille ac fatalis dies, cum, accepta cladis maritimae, & hoſtilis in litus Britannicum excurſionis fama, armatae Veneris inſtar, aut Minervae potius, per totam urbem obequitavit, populum trepidantem erexit, omnibus animum addidit, & ad tutelam litoris deſtinatorum delectum ipſa militum habuit: teſtis eſt Gratiae portus, & alterum illud orae maritimae oppidum Gallicanae, virtute claſſis Britannicae, hujus induſtria comparatae, ceu fulmine quodam, disjectum penitus atque

pro-

proſtratum: teſtis utrumque Concilium, quod ſuae plus ſemel Reginae gratias egit iſto nomine plurimas, & hanc animi ſui ſententiam ampliſſimis Ei verbis palam ac publice ſignificavit. Sic ut Regis abſentiam vix ſentirent Britanni, neque quicquam iis deeſſet, praeter ipſam Regis perſonam.

Ita per pluſculos annos cum Regio ſuo Conjuge diviſum imperium habuit Regalis haec Heroïna, dum Illa Britanniam, Ille Belgicam moderatur; donec ſub praecedentis exitum anni, gravi morbo decumbere caepit; quo, etſi primo fefellerat, in deterius tamen indies prolabente, ac fatali hora appropinquante, & Regno, & rebus terrenis valere juſſis, piis ſe cogitationibus oblectavit, in ſolo ſpem Deo repoſuit, ſuamque ei animam commendavit. Accedit ad Eam interim, cum pluribus ejuſdem ordinis aliis, pius ac reverendus Cantuarienſis Epiſcopus Tenniſonius, qui cum graviter ipſam, nec ſine praeſenti periculo, aegrotantem animadverteret; jamque mortis, ut apparebat, inſtantis piis ac ſalutaribus hortationibus admoneret; vultu nihil perterrito. maſculam illam ac plane Regiam vocem emiſit: *non nunc primum morti me paro; per omnem id mihi*

vi-

vitam ſtudium fuit. Tum divini corporis ſignum, noſtrae ſacramentum militae, Ei porrexit Epiſcopus. Quo illa ſumpto, poſtquam cariſſimo Conjugi ultimos, & nunquam poſthac repetendos, dediſſet amplexus, tota ſe ad moriendum compoſuit; & malo magis ac malis ingraveſcente ſub initium anni currentis, intra ſextum & ſeptimum Januarii diem, media noctis hora, in ſuburbano Regio Kenſingtoniano, ut tam ſanctam Principem decuit, pie ac placide expiravit, & caſtiſſimam Deo animam reddidit.

O atram & funeſtam noctem! o foedum, & nocte ipſa nigriorem, qui iſti nocti ſucceſſit, diem! o ſpes fallaces! o inanes, etiam Regum, cogitationes! In uxoris ſe amplexibus oblectabat, & hanc ipſam cum ea hiemem conſumere geſtiebat, belli pulvere ſordidus, & longinquae labore militiae defeſſus Heros. Aliò vota ceciderunt. Pro gaudio luctum, pro plauſu planctum, pro uxore funus offendit. Cedit inſano dolori invictus alias animus; quique hoſtium tela & enſes, qui ferrum & flammam, qui ipſam toties mortem contempſerat, cariſſimae morte Reginae ſuccumbit, deficit, cadit. Regem eſſe ſe meminit; hominem ſentit; & do-

doloris ſui magnitudinem non invitus agnoſcit: *Heu me miſerum*, inquit, *omnium mulierum optimam, ac jucundiſſimam vitae ſociam perdidi!*

Nec amoris magis id verbum fuit, quam veritatis. Optimam enim ac praeſtantiſſimam, omnibus Regiis ac Chriſtianis virtutibus praeditam, omnibus & corporis & animi dotibus ornatiſſimam, hanc ipſam fuiſſe Reginam, omnes, qui noverant, confitentur.

Et quanquam illa animi bona, vera demum ſint bona, ſolida, ſempiterna, ac longe bonis iſtis corporeis anteferenda, neſcio quomodo tamen è pulchro & venuſto corpore ipſa quoque pulchrius eminet, & gratius ſeſe nobis inſinuat virtus. Quod ſi in privatis eſt verum, quanto magis in Regibus; in quibus illa ipſa praeſtantia & excellentia corporis neſcio quam conciliat dignitatem? Etenim cum pulcherrimum Dei ſit opificium homo, potior pars hominis animus; pulchram mentem in pulchro corpore circumferre, quam rara res, quam eximia, quam paucis mortalibus attributa? Utroque ſe nomine noſtra commendat Regina. Corpus enim nacta fuerat eminens, & ultra juſtam aſſurgens ſtaturam; pulchrum, concinnum,

 de-

decorum. Conveniens erat corpori facies, & regno atque imperio digna. Eminebat ex ore venuſtas, & comes pulchritudinis gratia; eminebat Regalis Majeſtas, & temperata quaedam cum hilaritate ſeveritas. ipſo adſpectu Reginam cognoſceres. Inhabitabat hoc domicilium praeſtantior multo hoſpes, & nobilior corpore animus; unde, tanquam è perpetuo fonte, & inexhauſta quadam ſcaturigine caeterae omnes & Regiae & Chriſtianae redundabant virtutes; quae quam multae, quam eximiae ac praeclarae fuerint, earum nobis recenſio ac contemplatio manifeſtabit.

Ac primum, quod ac quale in Ea ingenium in rebus intelligendis? quam acre judicium in diſcernendis? quanta memoria in retinendis? quae fortitudo in ſuſcipiendis? quae conſtantia in exequendis? quae animi magnitudo? quae rurſum lenitas animi, manſuetudo, clementia, comitas, affabilitas, bonitas, & ingenita quaedam illi ac naturalis erga omnes benignitas? quae prudentia ac ſapientia in Regni negotiis adminiſtrandis? quae ſeveritas ac juſtitia in litibus dijudicandis? in poenis ac praemiis diſtribuendis? quae in pauperes liberalitas ac munificentia? quae deinde & quam ſingularis mo-

modeſtia? quanta in mediis vitae illecebris, & omnibus Aulae deliciis, frugalitas ac temperantia? ut vix quiſquam privatus minus ſibi unquam indulſerit, quam in tam illuſtri honore ac dignitate conſtituta Princeps.

Sed nihil in Ea illuſtrius, nec in tot ac tantis virtutibus, quarum vel ſingulae per ſe eximiae, quicquam commendabilius, aut admiratione omnium ac praeconio dignius, quam virtus illa primaria, vera ac ſincera pietas, quam omnis principium ſapientiae Regum ſapientiſſimus judicabat. Nihil illi prius erat aut antiquius, quam ut Deo immortali, & divino Ejus cultui inſerviret, & ab idolis ac ſuperſtitionibus repurgatam ac defaecatam Religionem omnibus Regni viribus tueretur, defenderet, propagaret. Veram autem non in ore, ſed in animo; non in ſubtilibus diſputatiunculis, ſed in bonis operibus; non in praeceptorum cognitione, ſed eorundem obſervatione, & ipſo rerum actu, conſiſtere pietatem credebat; neque cum Athenienſibus, recta ſcire, quam facere, ſed cum Catone illo priſco, immo verius illo, eſſe bona, quam videri, malebat. Cum ipſo ſolis exortu ſummo ſaepe mane ſurgebat, & coeli ac terrae Dominum adorabat. Cum vero ob Regni

ne-

negotia media interdum nocte ſurgendum eſſet, nec ſomnum deinde capere poſſet, aut Sacrum Codicem, aut pium aliquem librum adduci ſibi imperabat. Si quae manè ipſam inviſerent, precibus nondum fuſis, remittebat, increpabat, &, *Regum Regi prius eſſe ſerviendum*, ajebat. Si qui dolis Eam & inſidiis petere dicerentur, nihil aliud, quam, *divinae ſe voluntati acquieſcere*, reſpondebat. Coetibus publicis frequens intererat, praeſertim cum moviſſet exercitus, aut graviore aliquo impendente periculo. Quoties autem iis intereſſet, nemo arrectis magis auribus, nec mente minus quam aure, divinos ſermones excipiebat; nemo ardentiores ad Deum preces fundebat, dejecto ac defixo in terram animo magis, quam vultu. Jam vero quam benefica, quam liberalis, & in Eccleſia, & extra eam, per omnes terrarum oras, in egena Eccleſiae membra extitit? quot hominum millia, quos foeda illa tempeſtas, & dira Monachorum rabies, quam iſti pietatem vocant, patria ſua extorres, &, quae patria multo carior, conſcientiae libertate privatos, fortunis ſuis exutos, aut in has regiones, aut in Britanniae oram expulerat, ſuis ipſa ſumptibus ſuſtentavit? Quis denique indigus unquam fuit, ad

quem

quem non aliquid ex illo benigniſſimo fonte manarit? Quater ſingulis annis manu ſua obſignatas mittebat pauperibus cum pecunia chartas, à quibus ne gratiam quidem repoſcebat. Vix elapſum triennium eſt, cum ingentem pecuniae ſummam, pauperibus erogandam, in Hollandiam miſit, ad hiemis incommoda ſublevanda, ſuppreſſo, ut conſueverat, nomine. O benignam & munificam Principem! Beneficium dare voluiſti; nomen occultaſti; utinam viveres! quantum egeni & miſeri, hoc intenſo paene frigore mortui, per Te adjuti fuiſſent!

Ut autem primas ac priores Deo, ita ſecundas Marito dedit. Quanta animi benevolentia comitata eſt abeuntem? Quanto amore complexa eſt ab itinere reducem? Quanta dulcedine ac ſuavitate omnes belli viaeque moleſtias compenſavit? Quanta nuperrime celeritate, & quam incredibili paene ardore, ſpreta coeli injuria, poſtrema, ah poſtrema vice, cariſſimo ſuo Conjugi in occurſum ivit, & felicem Ei reditum gratulata eſt? Omnia Regni negotia, abſente Rege, curabat ſola: à publicis rurſum negotiis, Eodem praeſente, abſtinebat omnibus, & univerſi imperii regimen in Maritum ſuum

tranſferebat, laetior cum deponeret, quam cum ſuſciperet; ſic ut nulla unquam materfamilias viro ſuo obſequentior eſſe potuerit, quam illa Regi.

Ne in otio Eam interim vitam tranſegiſſe putetis. Habebat abunde quod ageret. Omnes beneficiis obſtringebat, omnium amorem demereri ſtudebat. Aegrotos curabat; miſeros adjuvabat, & omnibus aut paupertate aut aliqua corporis calamitate affectis, ſuppetias, quas poſſet, ferebat. Temporis, rei pretioſiſſimae, cujus unius honeſta avaritia eſt, parca admodum & avara fuit. Operi Phrygio manus ſaepe Regias admovebat; quod, veterum Reginarum exemplo, nec ſe indignum putabat: cum eo ipſo tempore (audi Seneca, qui temporis parcimoniam adeo nobis commendas) utilem & eximium aliquem, qui ad rem Politicam, ad hiſtoriae cognitionem, ad mores emendandos, vel ad rem divinam faceret, à ſuarum ſibi comitum aliqua praelegi librum juberet. Quin & ipſa legebat plurimum, ſeu in urbe eſſet, ſeu ruri, & honeſto ac jucundo otio ſolitarias horas fallebat; ſic ut, cum magno illo Scipione Africano, nunquam minus otioſa eſſet, quam cum otioſa; nunquam minus ſola, quam cum ſola;

ſola; &, cum illo ejuſdem nominis altero, intervalla negotiorum ſuorum optime elegantiſſimeque diſpungeret: quo ſuo egregio facto, non dico foeminis, non dico juvenibus, ſed viris, ſed doctis & litteratis, ruborem incutere poſſit. Quin & non ita pridem propriam ſibi ac peculiarem (audite Reges & Principes) in Regali ſuo Palatio, novo prorſus exemplo & inaudito, Bibliothecam conſtruxerat. Nec ad pompam magis, quam ad uſum, librariam iſtam ſupellectilem compararat. Multum inde ipſa doctrinae hauſerat. Hiſtoriam, Architectonicen, Geographiam, & omnes terrarum oras ac regiones probe perſpectas habebat; omnium urbium ſitum, omnium etiam portuum, primo intuitu deprehendebat.

Atque haec ipſa, quae tantum cultûs impendit, Deo, Marito, populo, omnibus, quantillum impendit ſibi? Omnia ad animum referebat: corporis valde exiguam, ac propemodum nullam, curam habebat. Quoties novi moris Ei veſtis, aut pretioſus aliquis mundus, oſtenderetur, ſaepe ſupervacanea iſta ornamenta rejecit, & *pecuniam illam in pauperes diſtribui poſſe*, reſpondit. O pii, ô modeſti animi Principem! O exemplum omnibus imitan-

tandum! ea donat pauperibus, ea denegat ſibi, ea ſpernit ac negligit, tam magna, tam potens Regina, quae privatae foeminae caeterae tanto omnes ardore ac ſtudio concupiſcunt!

Quid in tot ac tantis virtutibus admirer prius? An ſummam illam in Deum, quae à teneris in Ea annis emicuit, pietatem; qua nemo ardentius, nemo puriore magis ac ſincero Deum unquam animo coluit, amavit, dilexit? An ſanctum illud ac laudabile promovendae ſtudium religionis; cui adeo rei ſemper incubuit unicè, ut, abſque providentia Numinis, & hujus noſtrae Principis cura ac vigilantia, eam hodie nullam haberemus? An amorem illum flagrantiſſimum conjugalem; quo Cyri Panthaeam, Mauſoli Artemiſiam, Mithridatis Hypſicrataeam, multis partibus ſuperavit? An prudentiam Ejus ac ſapientiam in regendo; qua non foeminas tantum, ſed praeſtantiſſimos etiam viros, longo poſt ſe intervallo reliquit? An ejuſdem in regendo aequitatem; quam, ut Ariſtidem, aut Phocionem; quam, ut ipſam Juſtitiam, homines intuebantur? An eundem & aequabilem illum cum Socrate, & magni illo Socratis aemulo Antonino, uti animum, ita & vultum; quo omnis ſortis ac generis homines benigne ſemper

ac

ac benevole eſt proſecuta; certo ſibi perſuadens illud optimi Principis, & huic ipſi ſimillimi dictum Imperatoris, neminem à ſe triſtem oportere diſcedere? An modeſtiam animi ac temperantiam, & ſingularem illam in tanta praeſertim fortuna poſitae frugalitatem; quae in media rerum turba, & omnibus vitae illecebris, nunquam de ſuo ſe ſtatu dejici, & à vero virtutis tramite paſſa eſt avocari? ſic ut Aula ejus non Reginae, ſed privatae cujuſdam matrisfamilias domus, ſed monaſterium, ſed templum quoddam eſſe videretur: ſic ut è malis bonos, quod de Antonino dictum Philoſopho, è bonis optimos, & ſui ſimiles, redderet? An lenitatem atque clementiam, & pronam ac prolixam in demerendis omnibus voluntatem; ſic ut doleret non minus, quam illi ipſi qui peterent, ſi illorum forte petitioni reſpondere non potuiſſet; & cum eodem illo optimo Principe, periiſſe ſibi diem crederet, ſi nemini feciſſet bene? An eximiam in aegrotos & pauperes benevolentiam, ac miſericordiam, & maternum plane affectum munificentiſſimae Principis; cujus, ut centurionis illius Romani, in coelum ipſum adſcendiſſe crediderim collationes? An ſummam illam denique, & plus quam virilem, ut in

omni vita, ſic in exitu praecipue vitae, magnitudinem animi atque conſtantiam? Quis majore unquam facilitate hanc miſeram etiam & multis obnoxiam calamitàtibus vitam reſignavit pauper, quam Illa, in rerum omnium affluentia, & Regali faſtigio collocata, omnes vitae delicias, omnem Regiam dignitatem, Regio prorſus & Heroico animo ſprevit, contempſit, reliquit, & ad ſupremum illum coeli ac terrae Regem, à quo commodata nobis hactenus fuerat, evolavit? Quot imperterriti animi, quot laeti etiam, & ex hac vita excedere cupientis, praebuit argumenta? Quot amoris in Deum ſui, & quam claras, dedit ſignificationes? Qua Regem conſolatione, qua circumſtantes, eſt allocuta? Quam certa vitae aeternae & immortalitatis fiducia, huic vitae & terrenis omnibus valere dixit, & ad unicum illum ac perennem omnis beatitudinis fontem ac ſcaturiginem tranſmigravit? ſic ut & mors ejus & vita virtutis omnis ac pietatis perfectiſſimum quoddam ac conſummatiſſimum eſſe poſſit exemplum; neque quicquam ea ipſa extiterit unquam praeſtantius, quae nihil in omni vita, niſi laudandum, aut fecit, aut dixit, aut ſenſit, quod de Scipione dictum Aemiliano de noſtra multo verius principe

cipe

cipe praedicari poteſt: cujus tot ac tantae virtutes, & tanti ponderis ſingulae fuere, ut nemo unquam à Deo immortali tantum auſus fuerit vel tacitus exoptare, quantum haec noſtra ab indulgentiſſimo illo omnis boni diſpenſatore eſt conſecuta.

Et quoniam è morte magis, quam è vita, cognoſcitur hominis animus, qui per omnem ſaepe vitam occultat ſeſe atque diſſimulat; in morte demum, ſublato omni & amoto mimo, qualis eſt, talis apparet: quid hujus morte Reginae pulchrius atque praeclarius? quid ultimo ejus dicto, aut viro ſapiente, aut Chriſtiano homine dignius: *Non nunc primum morti me paro; per omnem id mihi vitam ſtudium fuit?* O dignam Philoſopho; dignam viro ſancto ſententiam! Quid aliud philoſophia nos docet? Quid aliud, Chriſtiana Religio? Etenim ſi Philoſophia mortis eſt meditatio, ut recte olim Platonici; ſi tota vita diſcendum eſt mori, ut veriſſime Stoici; nonne plane Philoſopham, & ipſi ſimillimam Socrati, vixiſſe vitam putanda eſt, quae per omnem vitae decurſum mortem eſt meditata? Pulcher ubique eſt Socrates, ubique vir probus & ſanctus; nuſquam tamen pulchrior, nuſquam melior, quam cir-

circa exitum vitae, & generoſam illam, quam oppetiit, mortem, qua ſuae ipſe virtuti & integritati pulcherrimum colophonem impoſuit; quodque per vitam omnem docuerat, non verbis, ſed rebus, & exceſſu ſuo illo è vita voluntario comprobavit. Quanto pulchrius ac laudabilius noſtra iſto Regina Philoſopho, Heroica ſua & Chriſtianis omnibus imitanda morte, ſuae ipſa virtutis ac ſanctitatis teſtimonium dedit? quae non privatam, non miſeram, ſed Regiam, ſed deliciis omnibus abundantem vitam, ſine ullo animi moerore deſeruit; quae ſic è vita exceſſit, tanquam è convivio; ex aula, tanquam è carcere; quae certiore multo fiducia animae ſuae immortalitatem, & melioris ſpem vitae conceperat; quae majore multo conſtantia, non mortem ſibi ſpontaneam intulit, ſed à Supremi illius manu imperatoris, qui ſine ſuo prohibet juſſu de ſua quenquam ſtatione diſcedere, ictum illum decretorium expectavit: & communem iſtam generis humani hoſtem, rerum terribilium omnium timendam ac terribilem maxime, intrepido prorſus animo, & nihil territo vultu adſpexit? Quid mirum? Mori didicerat: id ſtudium Ei fuerat unicum. Noverat vitae fragilitatem, quae, vitri inſtar, cum ſplendet frangitur:

tur: noverat ſingulis diebus nos mori, & idem eſſe mortis, quod fuerat vitae, principium; nihil hic firmum ac ſtabile eſſe; aliam nobis vitam promitti, conſtantem, ſolidam, permanentem; mortem ad eum tranſitum eſſe; neminem bene mori, niſi qui vixerit bene; neminem bene vivere, niſi qui mortem ante oculos habeat, & bene didicerit mori. Hiſce plena cogitationibus Princeps noſtra, omnia vitae commoda & blandimenta, honores ac dignitates, ſceptra ac diademata, & quicquid homines fortunatum putant, ſprevit ac repudiavit, & magno ac Regio animo vitam contempſit, dum vixit; mortem, dum moritur; & nobilem ac glorioſam de utraque victoriam reportavit.

O fortis ac virilis animi foeminam, de ipſa etiam morte triumphantem! Quo Te nomine compellabo? An Parentem Te patriae dicam, quod Liviae olim cognomen datum, Tibi vero rectius dandum fuit? An Auguſtam, quod Romanis Imperatricibus attributum, tuo Tibi merito debitum, qua nihil ſanctius, nihil auguſtius, unquam fuit? An Optimam Principem, quod Scipioni primum Naſicae, Trajano deinde Imperatori, Senatus decreto conceſſum; quod abſque Te nunquam recurret, nec ſine tuarum

recordatione virtutum rediturum terris vocabulum eſt? An Fidei Propugnatricem, quod multo Tibi verius convenit, quam cui id primo nomen indultum eſt? O ſanctiſſimam ac religioſiſſimam Principem, & nulli non foeminae praeferendam!

Deborae fortitudinem; Eſteris formam, ſapientiam, religionem; Dorcadis pium in pauperes ſtudium: prudentiam Semiramidis, & gubernandi ſcientiam; virilem Zenobiae animum, & ardentem litterarum amorem; Aſpaſiae incredibiles tum corporis tum animi dotes, & ſingularem ejus modeſtiam; Placillae pietatem, & aſſiduam erga pauperes & aegrotos curam, Sacrae nobis ac profanae commendent hiſtoriae: Machtildam, Philippam, Eliſabetham, & eximias earum virtutes, annales extollant Britannici: nihil habet aut illa veterum aetas, aut haec noſtra recentior, quod cum hac praeſtantiſſima, & omni majore praeconio, conferri Regina poſſit. Quae iſtae poſſederant ſingula, haec habuit univerſa; & iſtarum virtutum omnium quoddam quaſi fuit compendium.

Ac mihi quidem, rem omnem animo meo volventi, & virtutes Ejus ſingulas perpendenti, nihil hac excellentius Principe editum unquam fuiſ-

fuiſſe, nullum majus aliud bonum ullis obveniſſe mortalibus, certo planeque perſuadeo. Etenim, ſi verum eſt illud Platonis, uti veriſſimum, ſuorum finem malorum habituras tum demum urbes, cum magna poteſtas ac ſapientia, divino quodam fato, unà cum aequitate & juſtitia in mutuos iviſſent amplexus: ſi beatus futurus tum denique terrarum orbis, eodem illo praedicante, cum aut Reges ſaperent, aut ſapientes regnarent: quam beata ac fortunata haec noſtra Reſpublica, & commiſſae Hujus imperio gentes ac nationes; quae tanta cum prudentia ac ſapientia regnum ſuum adminiſtravit; tanta juſtitia & aequitate ſuam potentiam temperavit; quae in ſumma illa fortuna nemini unquam nocuit, cum tantam nocendi facultatem habuerit; cujus certabat ac litigabat, cum majeſtate humilitas, cum ſeveritate clementia, cum potentia bonitas; quae in tantum ſe aliis majorem putavit, in quantum & melior eſſet, ut de Artaxerxe Ageſilaus; quae optime ac ſapientiſſime urbes & populos rexit, qua bene regnandi ſcientia nullam aliam difficiliorem re ipſa expertus affirmare ſolebat Diocletianus? Et, ſi ſcutum imperii Fabius olim dictus eſt Maximus; Marcellus, enſis; nonne in duobus

bus hiſce viris illuſtribus, Regis ac Reginae noſtrae veram ac genuinam videmus effigiem, quorum Ille, Marcelli inſtar, ſuo nos enſe defendit, Illa, Fabii more, ſuo nos ſcuto protegit; & altera manu haſtam, altera clypeum tenens, & terribilem illam aegida quatiens, nunc Pallada nobis armatam, nunc lenem rurſus ac pacificam, & ut belli, ita & ſapientiae praeſidem repraeſentat? Denique, ſi ad imaginem Dei factus eſt homo; ſi à Deo Reges; ſi potiores in Deo virtutes immenſa ejus bonitas ac poteſtas; quam pulchre Dei imaginem & verbis oſtendit & factis Auguſta noſtra Regina? quam ſancte vicem ſuſtinuit? quam prope virtutes expreſſit? quae potentiâ maxima, bonitate optima, Principum Optima Maxima dici, longeque ſanctiſſimo, & cum ipſo Ei Deo communi nominari vocabulo meruit? nam & Ille Optimus Maximus, ac primum quidem Optimus, deinde Maximus, appellatur. Quo quid aliud nobis deſignavit antiquitas, niſi ſummum hunc Dei ac proprium characterem, neque quicquam in Eo Ejus eſſe bonitate praeſtantius? Virtutem hanc Dei primariam quis rectius unquam mortalium, quam haec noſtra aemulata Regina eſt? Quae ut ſummam à Deo po-

potentiam, ita & bonam mentem iſtam, ac propenſam de omnibus bene merendi voluntatem acceperat; quae oblata à Deo munera in commune omnium bonum commodumque diſtribuit; quae non tam Reginam munificam, quam viſibilem quandam in terris, & oculis noſtris conſpicuam, exhibuit divinitatem; ſic ut ſcirent atque ſentirent Ejus commiſſi regimini populi, ſe ſub Maria, hoc eſt ſanctiſſima & integerrima, hoc eſt optima, & omnibus in ſuo genere optimis praeſtantiore Principe vivere.

Talem igitur, tam excellentem, &, in quantum virtus intelligi poteſt, laudabilem, qua nec meliorem hiſtoriae continent, amiſimus ac perdidimus Principem; quae incredibili morum ſuavitate, & ſingulari ſua clementia ac beneficentia, amorem ſibi omnium compararat. Amabant eam Britanni, amabant Batavi; & ut illa utramque ita gentem dilexit, ut neſcias utram magis, ſic utriuſque populi cives pari eam omnes amore complectebantur, quibus hoc unicum erat certamen, uter amaret ardentius. Nec apud Anglos tantum & Belgas, ſuoque ſubjectas imperio nationes, ſed apud exteros etiam & peregrinos, favorem omnium benevolentiamque promeruit. Nemo non eam laudabat, nemo

non praedicabat, quam ne inimicus quidem quiſquam culpaverit, niſi qui & omnis ſimul veritatis inimicus eſſet.

Sed ut tum gentium amor, & utriuſque deliciae populi, ita nunc luctus eſt Eadem publicus, & communis omnium dolor. Eſt quidem, quo illum ipſum, ſi non levare, qui nimius, at lenire certe aliquo licet modo, ac temperare. Habemus etiamnum Regem, vivum, valentem, ſuperſtitem, quo ſalvo ac ſoſpite, nondum omnem noſtri curam abjeciſſe credendus eſt Deus: Habemus Proceres Regni, qui omnibus Regni viribus, omni bellico apparatu, & foris & domi, & terra & mari, hoc ipſum inſtruent bellum: Habemus hanc noſtram Rempublicam, validam, florentem, potentem, & belli hactenus onera ſuſtinentem: Habemus fortiſſimos ſocios & amicos, Caeſarem, Hiſpanos, Germanos, eodem nobiſcum foedere, ejuſdemque belli ſocietate conjunctos: Habemus ante omnia maximum illum Coeli ac terrae Dominum, piae ſuorum cauſſae propitium ac faventem; cujus divino auxilio, & meliora nobis impoſterum omnia, & felicem hujus belli exitum pollicemur: ſed omni conſolatione major eſt luctus, nec ullum ſibi fraenum imponi patitur dolor,

quem

quem morte Principis optimae percipimus atque ſentimus; quam nunc demum ex vero aeſtimare gentes incipiunt, poſtquam amiſerunt. Illa quidem in meliorem locum translata, & hoc mortalis ac caduci corporis vinculo liberata, fragilem hanc vitam perenni, terrenum Regnum coeleſti, & omnem Regni ſplendorem majore longe gloria permutavit; ubi cum ſancto Beatorum chòro, & illuſtribus ſuis Majoribus, nunquam ceſſatura laetitia, & gaudio fruitur ſempiterno: nobis vero fletus & gemitus, nobis longum dolorem, & ut gratam ſui memoriam, ſic triſtem ac luctuoſam reliquit. Luget Rex optimam Conjugem; Britanni Reginam; Batavi Principem; ſoſpitatricem Reſpublicâ; conſervatricem Eccleſia; nutricem orbae, pupillae, viduae; miſeri, egeni, aegroti; matrem denique ac parentem omnes. Matrem certe ac parentem, matrem noſtram & parentem amiſimus; quae Regnum Britannicum, quae hanc noſtram Rempublicam, quae verum Dei cultum, & purgatam à Romanenſium ſordibus religionem, quae artes honeſtas ac diſciplinas, quae ſingulos denique & univerſos, ut pluribus ſibi meritis beneficiiſque devinxerat, ita & pluribus etiamnum, ſi aut otium Ei & pacem, aut longio-

rem

rem inſuper vitam, ſupremus rerum Arbiter conceſſiſſet, meritis ac beneficiis obligaſſet. Nunc & praeſentis temporis fructum, & ſpem futuri amiſimus: nunc geminum damnum ſentimus: nunc optimam ac praeſtantiſſimam Principem, immatura nimis & funeſta nobis morte ſurreptam, flemus, ſuſpiramus, dolemus. Quanquam autem nec importuno gemitu noſtro coeleſte hoc Ejus perturbare conveniat gaudium, nec ullis Ea omnino revocari lacrymis poſſit; quis humanae tamen imbecillitati, in tam acerbo praeſertim funere, non ignoſcat? quis in tanto dolore, & publico omnium luctu, non publice ingemiſcat? non largos & uberes lacrymarum rivos profundat? Haec illi juſta debentur: hic luctui dictus eſt dies. Renovemus hunc ipſum, ac refricemus; nec grave vobis ſit, Auditores, eandem rurſus viam relegere. Aliquid ſibi praecipui Regale poſtulat funus. Plus una cauſſa dolemus, plus una dolendum eſt vice. Et quanquam jam ex parte conſumptus, & exhauſtus quodammodo videri poſſit, prodeat nihilominus; &, ut è duobus corporis oculis moeroris illae indices promanant undae, ita è duobus animi, fontibus dicam an oculis, erumpat dolor.

Ad-

Adeſte itaque Muſae, adeſte; ſi non divae, divino certe ſemine oriundae; adeſte inquam, adeſte; & in tam triſti funere triſte mihi carmen ſuggerite: Et tu imprimis, moeſta & lacrymoſa, dolori ac luctui deſtinata, hujus funeris Praefica, Elegia; ordire Leſſum & Naeniam; ordire lugubrem cantum; aut, ſi tua potius lingua, & verbis tibi ſolennibus compellari cupis:

Ad fletum & lacrymas, Elegeïa, flebile carmen
Heu vero nimium nomine dicta, veni.
Indue ferales habitus, & temporis hujus
Squallòrem paſſis, oraque, redde comis.
Nunc triſtes animo gemitus, nunc flumina & imbres
Lumine deciduae volvere tempus aquae.
Occidit, & mediae demeſſa in flore juventae eſt,
Regina Albioni, Regibus orta, ſoli.
Afflicti teſtes animi, prorumpite voces:
Plurima de madidis labere gutta genis.
Hei mihi! nec lacrymae luctum, nec verba, ſequuntur.
Mens labat, & multo victa dolore fugit.

K *Fle-*

Flere dolor prohibet, vocemque obſignat in ore;
Apta nec officio lingua, manuſve, ſuo eſt.
Ite tamen lacrymae, pietas jubet, ite querelae;
Ite tamen numeri, quo vocat illa, mei.
Cum doleant paſſim Britones, cum lugeat omnis
Belgica, te ſolam, Muſa, ſilere nefas.
Ede pios gemitus, & tanto digna dolore,
Sic opus eſt, moeſtis concipe verba modis.
Poſceris. Illuſtri plorant in funere gentes,
Et tellus Dominam luget, & unda, ſuam.
Luctibus incenſas ululat campana per urbes,
Nec ſolis hominum vocibus aethra gemit.
Triſtè ſonant toto diſcordes aequore venti:
Triſtè repercuſſis litus utrumque jugis.
Ipſe pater Nereus interlabentibus undis
Mugit, & ex imo ſurgit in aſtra vado.
Obducit nitidos Titan ferrugine vultus,
Conditur & tenebris, luminis orba, dies.
Et merito. Quid enim vultu formoſius illo
Mundi oculus gemino vidit ab uſque polo?
Quae tellus illi ſimilem tulit? aetheris alta
In terras illam miſit ab arce Deus.
Excipit infantem, regalique educat aula,
Non tamen & ſoli, terra Britanna, ſibi.

In

In partes mundi varias lux iſta ſerenos
Diſperſit radios undique, vimque ſui.
Utque ſupra reliquos Phoebi ſoror emicat ignes,
Vecta poli nitidis per ſpatia alta rotis:
Sic alias longe Nymphas ſuper eminet omnes,
Gloria virginei, pulchra Stuarta, chori.
Pulchrior haud alia hac, aut mente, aut corpore; tanto
Digna Viro; ſolio digna, Britanne, tuo.
Numinis hoc illi tribuit clementia, quaeque
Ferre manu meruit ſceptra, ferenda dedit.
Numinis in morem, coelum terramque regentis,
Aequali populos rexit amore duos.
Nec melior regno moderatrix ulla Britanno
Obtigit, aut populis, Belgica terra, tuis.
Quis majore Deum coluit pietate? quis aevi
Longior à vitiis, quam fuit illa, fuit?
Quae privata ſuum complexa eſt nupta maritum,
Foemina quo princeps principem amore virum?
Quae non effulſit paſſim prudentia? quas non
Divite reclaſas pectore prompſit opes?

Quae

Quae non Majeſtas; quae non conſtantia; quae non
Pax, & honos, illi frontis, & oris, erat?
Quam leni rexit terras moderamine? quanta
Juſtitia? Rheae ſaecla rediſſe putes.
Praebuit auxilium miſeris, ſolamen egenis,
Aera peregrinis, hoſpitibuſque larem.
Lex erat, exemplum vitae: virtutis imago
Vita fuit; morum regula; norma boni.
Plura quid adjiciam? Tua laus, tua gloria Princeps
Optima, fine ſuo, ceu dolor ipſe, caret.
Perdidit hac quantum tua morte Britannia! quantum
Amiſit letho Belgica terra tuo!
Quis nunc imperio populos fraenabit & urbes,
Longa gerente tuo trans mare bella Viro?
Quis validam ornabit claſsem? quis Belgica rurſum
Auxiliatrices mittet in arva manus?
Aequoris in mediis ſic Tu, Regina, procellis
Deſtituis lacerae naufraga membra ratis?
Sic Tibi dilectos alieno tempore Belgas
Deſeris, & noſtram, dura, relinquis humum?

At

At non iſta Tui dederas Tu pignora, cum Te
Miſit in imperium Belgica terra tuum.
Hoſtibus iratis. Batavos, populumque Britannum
Prodis, & Herois ſpemque decuſque Viri.
Reſpice communes cives, communia ſacra:
Reſpice rem Batavam, nec minus ipſa tuam.
Me miſerum! aeterno condit ſua lumina ſomno,
Nec nos jam curat, noſtrave, corpus iners.
Ergo nihil tutum eſt, & Tu quoque, maxima Princeps,
Illi, cui cedunt omnia, praeda jaces?
Ergo nihil ſanctum eſt, & cum vulgaribus umbris
Mors etiam Reges, ipſaque ſceptra, rapit?
Scilicet haec cunctis mortalibus aequa rependit,
Et Reges etiam, Regnaque, fata manent.
Sic placuit vitae auctori, rerumque parenti.
Non alia naſci conditione datum eſt.
Haec quoque Tu, Princeps, veniſti in foedera, Teque
Eripuit terris, qui dedit, ipſe Deus.
Tu nunc Aetherea mundi ſpatiaris in aula,
Regnaque cum Coeli Rege ſuperna tenes.

At nos, heu miſeri, viduati munere tanto
Flemus, & ereptam Te ſibi terra dolet.
Liquitur, & lacrymis urbs diffluit omnis obortis,
Moerorem capiunt nec tria regna ſuum.
Percutit inſano Londinum pectora planctu,
Scindit & ungue comas, ſcindit & ungue genas.
Murmurat horrendùm Tameſis, rigat imbribus ora,
Proque ſuis lacrymas in mare volvit aquis.
Dat gemitus, & longa Tibi ſuſpiria fundit,
Ille tui Conſors ſanguinis, ille tori.
Quin etiam largos, lacrymarum flumina, rores
Nunc primum victo vidimus ire Viro.
Quae fuerat rerum facies, quae noctis imago,
Qua Tibi ſupremum reddidit Ille vale!
Haerebat laterique comes, ſocioque cubili,
Sedit & ad thalamum nocte dieque tuum.
Sedit ad aegrotae thalamos, aegrotus & ipſe,
Quamque Tibi poterat ferre, ferebat opem.
Saepe Tibi fomenta dedit, ſuccoſque ſalubres
Praebuit hac ipſa, qua gerit arma, manu.
Jamque propinquabat paſſu Mors alite, cum ſic
Alloqueris Regem, Regia Nupta, Virum.

Care

Care, vale Gulielme, vale cariſſime Conjux,
Conjunxit ſanguis quem mihi, quemque torus.
Te comitem Batavas ſum ſponte ſecuta per urbes;
Clara Britannorum, Te duce, ſceptra tuli.
Tu mihi jucundae lenimen dulce juventae,
Tu mihi primus eras, Tu mihi ſummus amor.
Vixi, quemque dedit curſum Natura, peregi;
Et, quod amem, praeter Te, nihil orbis habet.
Me regnum Coeleſte vocat, mihi limina pandit
Aetheris, & vitam dat ſine fine, Deus.
Tempus erit, cum Tu ſedes tranſcriptus in iſtas
Inter honoratos aſtra tenebis Avos:
Cumque poli domino regnabis, & aethere ab alto
Spectabis terras, deſpicieſque, tuas.
Interea populi ſerva communis amorem,
Degat & imperio laetus uterque tuo.
Jamque vale. vires adimit mihi languor, & ora,
Vinctaque perpetua lumina nocte, premit.
Quod ſi quid merui de Te bene, ſi quid amavi,
Vive memor noſtri, Lux mea, vive memor.
Dixit, & anguſtis animam exhalavit in ulnis,
Inque ſacros humeros triſte recumbit onus.
Ille nihil; raptaque ſimul cum Conjuge voce,
Obſtupuit tanto, diriguitque, malo:

Per-

Perque dies aliquot, nec conſolantia verba
Audiit, aut ullos attigit ore cibos:
Odit & adſpectus hominum, lucemque diemque,
Cumque tori Socia viſus & ipſe mori eſt.
Ut vero ſeſe invenit, nubemque removit
Corde dolor, coepit vix ita vixque loqui.
Magne Deus, cui vulgus inops, plebejaque turba,
Collati Reges, umbraque vana, ſumus:
Qui mare, qui terras omnes, terrenaque regna,
Dirigis imperio, noſtraque noſque, tuo:
Care quid admiſi Genitor, quod in illud amatum
Haec tua Tu vibras tela, meumque, caput?
Num tua neglexi forſan ſacra, & Tibi fuſas
Concepi caſto non ſatis ore preces?
Impia num movi certamina, bellaque geſſi
Ulla, niſi auſpiciis, Teque probante, tuis?
Num me caede aliqua maculavi, aut ullius unquam
Dextra, niſi hoſtili, tincta cruore mea eſt?
Sed quid ego haec autem? ſic ſtat, ſic corde voluntas
Fert tua. Conſilium mors ea, Sancte, tuum.
Cedimus, & toto paremus pectore, mundi
Aurea cui parent ſidera, & ipſe polus.

Hoc

Hoc mihi Tu thalami pignus Coeleſte dediſti:
Eripis hoc thalami Tu mihi pignus idem.
Vincor, & obſequii mihi gloria ſola relicta eſt,
Dum Tu rem repetis, nam tua jure, tuam.
Dixerat, & moeſtam Proceres admiſit in Aulam,
Tutamen Regni, conſiliumque, ſui.
Succedit tecto Domus utraque, damnaque queſti
Publica, ſolamen, quod potuere, ferunt.
Parce metu: nos auxilium, nos robora belli,
Cumque ſuis dabimus pinea texta viris.
Nec nos crede tuae mutatos morte Maritae:
Major erit poſthac, quam modo, noſter amor.
Talia promittunt Proceres, Aulaque recedunt,
Addicuntque ſuam Regis in arma fidem.
Sume animos, Gulielme, tuae quod funere Nuptae
Gaudeat, infenſus nil, puto, Gallus habet.
Vince tuum, Princeps, qui vincis caetera, luctum,
Et curam Regni Rex age magne tui.
Jam prope confectum, parva eſt mora, confice bellum,
Teque tuus pacem vindice mundus agat.

Te nunc praeſidium, Te nunc ſolamen in uno eſt:
Publica Tu ſolus damna levare potes.
Adfer opem, ſervaque tuas, fortiſſime, terras;
Siſque, quod es, populo portus & ara tuo.
Trajice brumali laxatum frigore pontum,
Et reducem videat Belgica, Vere novo.
Fallor? an infeſtis concurrunt agmina ſignis,
Armatamque acies conſeruere manum?
Auguror, & fracta pariter cum viribus ira
Victorem agnoſcet Gallia victa ſuum.
Ecce Tibi motis plaudit Victoria pennis,
Militat & cauſſa pro meliore Deus.
Blande Pater, paciſque bonae, bellique cruenti
Arbiter, haec firma Numine verba tuo.
Vincat, & exuviis, ſpoliiſque ornatus opimis,
Incolumes referat ſeque ſuoſque domum.
Arma tholis figat patriis, multumque cupita
Concedat populis otia, & ipſe ſibi.
Aurea reſtituat pacato ſaecula mundo,
Et ſemper nitidos donet, agatque, dies.
Sceptra diu teneat Regalia; quodque Maritae
Dempſiſti vitae temporis, adde Viro.
Expleat ille ſuos, & Conjugis impleat annos,
Proroget & vitam fata per iſta ſuam.

Ad-